Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8207
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ihs

Ydeote de staticis experimentis

V 4 76
164

Requietabat consorcium ydeote orator ille romanus ut aliqua iterum secreta que sibi grata erant audiret. Cumque orator laudaret stateram quasi iusticie racionis atque rei publice necessarium instrumentum ydeota respondit. Ydiota. Quamquam nichil in hoc mundo precisionem attingere queat tamen iudicium statere verius experimur et hinc undique acceptum sed dicito queso cum non sit possibile in eadem magnitudine esse idem pondus in diversis diversam habentes originem an nequisquam experimentales ponderum conscripserit differencias. Orator. Neque legi neque audivi. Ydiota. Utinam quisquam nobis hanc consignacionem presentaret sibi multa volumina rependerem. Orator. Si tibi animus daret ut faceres puto pre ceteris melius fieret. Ydeota. Quilibet volens faceret cum sit facile sed michi deest opportunitas. Orator. Dicito utilitatem et modum videbo si aut ego aut alius efficere queat. Ydiota. Per ponderum differenciam arbitror ad rerum secreta verius pertingi et multa sciri posse verisimiliori coniectura. Orator. Optime ait propheta quidam quod pondus et statera iudicium domini